



# THESEON IN BIBLIA SACRA QUARTA CLASSIS.

## OMNI DISPUTATIONUM GENERE ILLUSTRATA.

*Scrutimini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam eternam habere. Johan. 5. 39.*

## I.

## BIBLIA ISAGOGICA.

*Va vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiae. Luc. 11. 52.*

**I. CHRISTUS-JESUS** heri & hodie cæcos iis verbis compellat duces, qui solo spiritu interno contenti omnem prorsus Scripturam tanquam occidentem litteram respuunt: ac in astutia ad circumventionem erroris, nulla Prophetarum adoranda verba ad viam salutis hominibus aperendam necessaria sciscunt: vel alios fortè hoc modo carpit, qui in sacris codicibus interpretandis Ecclesie sanctæ oraculum designati, planissima ubique divinarum Scripturarum mysteria prædicantes, in vanitate sensus sui immensam Prophetiæ perambulans sylvam, nullis antea regularum fabricatis clavibus ac luminariis, quibus quodammodo lucis tramitibus deducti ab errore potuissent defendi.

**II. Sacrorum Bibliorum Canonem** duplicem solummodo novimus; unum Hebræorum ab Eldra concinnatum, à synagoga verò magna supremo iudicio determinatum: alterum Christianum seu Ecclesiasticum, à multis Conciliis, ac summis pontificibus adumbratum, postremò tandem à Tridentina synodo dedicatum atque consecratum. Hujus sacri Canonis originalia instrumenta, cum Hebræa, tum Græca mendis pluribus labefacta in rebus levioris momenti, nitoremque pristinum amissa, primævam adeo fidem & apud nos auctoritatem in omnibus minime consequuntur. Par quoque corruptela infortunium experta septuaginta seniorum versio Græca, nihilque purior fontibus, jamdiu in Ecclesia manet seposita: Cujus locum supplevit Hieronymiana vetus & vulgata Latina, non immerito inter plures quæ circumferantur, dicta authentica.

**III. Clavem scientiæ vere auream, artemque Bibliorum sacram, quæ multos legis recessus obtineat, ac veritatis thesauros visibiles faciat, triplicem dicimus esse syntaxim; propriam, figuratam, & harmonicam: quarum adminiculo, patriæ phrasæ ac idiotismi; obviantia ubique scripturarum ænigmata, conciliandarum denique antilogiarum rationes probe dignoscuntur, sensusque sacrorum codicum genuinus remota prorsus ambiguitate percipitur.**

## II.

## BIBLIA SACRA HEPTALOGICA.

*Vidi in dextera sedentis supra thronum Librum scripturam intus & foris signatum sigillis septem. Apoc. 5. 1.*

## BIBLIA CRITICA.

*Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis. Johan. 16. 29.*

**I. DUPLICEM** toti scripturæ inesse sensum litteralem, proprium unum ac simplicem, metaphoricum alterum & ænigmaticum, ab antiquis interpretibus optime agnium utrumque ac distinctum non ignoramus: duplex proinde codices sacros ad litteram interpretandi genus admittimus, planum scilicet, & figuratum. Quotiescumque enim sensus

obvius & ex orationis contextu efflorescens præ se fert absurdum aliquid, vel ad proprietatem verborum si accipiatur, legi divinæ repugnans; ad alium litteralem sensum ænigmatibus & involucribus implicitum, à Spiritu sancto immediatè intentum transimus, è metaphoris enucleandum ac evolendum.

**II. Pinguissimus est ager** divini sermonis, qui verbis constringatur licet, cælestibus tamen adeo diffunditur sensibus, ut unum Comma, eademque littera, duos sæpius, tresve planos ac simplices germinet intellectus: quod in divinis eloquiis largius & uberius ita divinitus provisum est, ut eadem verba pluribus intelligerentur modis.

**III. Jam quod spectat de Christo prædictiones, ineptam** dicimus melesidam ac intutam novitiorum opinionem interpretum, qui primarium quendam omnium vaticiniorum sensum proprium & proximum, ad historiam hujus temporis, quo proferebantur, referendum docent, secundarium verò remotum & allegoricum ad Christum. Quasi verò multa non sint atque splendidiore Prophetarum oracula, quæ Christum mere respiciant, nec ad alia quantumvis violenta & extorta expositione detorqueri valeant.

## III.

## BIBLIA CHRONOLOGICA.

*Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei. Heb. 11. 2.*

**I. QUANDO** in principio temporum sæcularium creavit Deus Cælum & Terram, mundumque in vere tanquam in juvenutis flore, condidit ex nihilo. Vernum igitur tempus magno mundi opificio fuisse nobilitatum, ex diluvio universali, quod eadem anni tempestate contigit, liquido demonstratur; diluvium enim ab anni currentis mensè secundo initium sumpsit, duravitque anno integro, duodecim prout nunc mensibus composito.

**II. Junioem Cainanum filium Arphaxadi** immediatum inter progenitores suos habuit Abrahamus credentium pater, qui anno patris sui Thare trigésimo supra centesimum natus est in Chaldea, post mortem Nemodi potentis illius coram Domino venatoris; mundi bis millesimo trigésimo octavo, ante Christum bis item millesimo decimo quinto. Is postea Patriarcha sanctissimus annorum septuaginta quinque factus post mortem Thare reliquit Haran ut veniret à Deo vocatus in terram Chanaan, ubi semen ejus fuerat olim regnaturum, postquam in terra non sua servituti extitisset subiectum, & quadringentis annis peregrinum.

**III. Filii Israel** in solo Egypti regno non manserunt quadringentis tringinta annis; totus siquidem adæquatus iste annorum numerus, habitationem simul in Egypto, & Patriarcharum in terra Chanaan peregrinationem complectitur. Ducentis ergo & quindecim annis moram ipsorum in terra Egypti absolutam fuisse statuimus, ibique afflictos ac servituti subiectos annos circiter nonaginta duos; ante Moysis natale facile duodecim.

**IV. Captivitas Babylonica, quæ & desolatio septuagenaria, initium** habuit undecimo Regis Sedecie anno, terminum vero finemque ultimum primo Monarchie Cyri Persarum Regis, typum gerentis Jesu Christi veri liberatoris, qui ad salutem humani generis natus est Bethlehem, anno mundi quater millesimo quinquagesimo tertio, Imperii Cæsaris Augusti quadagesimo tertio. Deinde in Jordane baptizatus anno æræ vulgaris ac vitæ suæ trigésimo inchoato; demum post tres predicationis annos, & quatuor paschata celebrata cruci pro nobis affixus est decimo nono Tyberii Imperatoris, Conf. Servio Sulp. Galba, & L. Cornelio Sylla.

## IV.

## I V.

## BIBLIA SYMBOLICA.

*Hæc autem omnia in figura contingebant. 1. Cor. 10. 11.*

**I. Illis nempe qui exemplari & umbra cælestium deser-** vientes, testamentum vetus formam & apparatus novi consignatum habebant in lege, quam adeo totam futurorum bonorum umbram pugnacissimus Mosaicarum rerum vindex prædicabat. Videant ergo Judæorum pervicacissimi Caraitæ, & eodem qui inter Christianos fermento turgent, quam obtusa gerant pectora, dum litteram nimium cõsuetati, omnem à lege figuræ ac typi rationem tollere nituntur: falsam inde legislationem, Deumque mendacem facientes. Verè etenim falsa lex haberetur, nisi in umbris & simulachris futura præmonstrasset, & ridenda sabbathorum observatio judicaretur, nisi aliam quamdam requiem significet.

**II. Christo itaque gravida lex vetus, Adamum, Abelem, Melephedechum, Davidem, Salomonem, alioque bene multos, hujus effigies ac prænuntios typos suo gestabat sinu: donec in plenitudine temporum liquida appareret veritas, & Christi aperiret corpus; in quo antiquata consenuit, & vitam officii sui amissa ad sepulchrum religiosè deducta est necessarium officii: illufcenscente interim Evangelicæ auroræ doctrinæ, quæ gloriam Domini, divinaque mysteria revelatâ facie speculanda demonstraret, nec tamen in sua manifestatione æternorum umbras penitus fugaret, quoniam videntium in speculo & ænigmate veritatem inter nebulas necesse est semper obtutibus representari.**

## V.

## BIBLIA IRENICA.

*Fidelis autem Deus, quia sermo noster ut non est in illo est & non. 2. Cor. 11. 18.*

**I. Iustificatur in suis sermonibus, ac in variis eorum an-** tilogis vincit cum judicatur Deus, Scripturarum auctor primarius: etenim sacrorum codicum sententiæ plures sæpius licet nec sibi coherere, nec eundem sensum præ se ferre videantur, lucem nihilominus syntaxi harmonica suppedant, pereunt illæ quæstiones in quibus nobis aliquando visus est adversari sibi textus facer; & non congruere testimoniis legis & Prophetarum Evangelicæ pagina sermonis: tandemque castorum apparet una facies eloquiorum, iis scilicet qui cum timore exultare didicerunt. Ergo quæ paradoxa prius in Scripturis sanctis, contraria prorsus, & inexpertis absurdè videri poterant, ad pacem ea revocare, concordemque in omnibus ostendere veritatem, non immensis æstimamus laboris.

**II. De variantibus itidem diversorum lectioibus inter-** pretum par quoque debet esse iudicium; has enim textuum, aut versionum varietates, multiplex eisdem Scripturæ patitur sensus, & multis circumfusa veritas unica radiis, multis finit modis diffundi, neque eo tamen negare omnino volumus, minime luxatum & hiulcum esse sacrum contextum in leviculis quibusdam rebus, ad fidei dogmata neutiquam pertinentibus; nam mendas aliquot in minutis tantum lapsu temporis in Scripturis sacris inolevisse facile concedunt Orthodoxi: quod sane codicum antiquitatem potius reddet, quam ullam autographorum falsitatem.

## VI.

## BIBLIA NOMARCHICA.

*Expandunt Libros legis, de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulachrorum suorum. 1. Mach. 3. 48.*

**I. Primam instrumentis sacris auctoritatem summa quum** vendicat antiquitas, ac præcellentem puræ lucis radiis, gloriæ tribuat ipsis majestatem: quod Biblia isthæc dixerimus nomarchica, nulli mirum inesse debet, divinumque ea vocem caput & Oceanum Theologiæ, unde fluvii doctrinarum omnes, ac maria legum sanctarum apud gentes etiam

Tom. V.

universa derivantur. Hinc equidem poetarum antiquissimi, ac majoris nominis Philosophi sua veritatis lumina è fonte hauserunt, sic tamen, ut partem dogmatum inde fumentes, ex fabulis vero Græcorum multa admiscerent, sermones scripserint aliqua tinctos veritate, ac errore plenos infinito. Quæcumque autem bona & vera, ea ex nostris habuisse litteris tralatitium est apud sanctissimos Ecclesie patres; ac virorum doctorum agmina clamant.

**II. Ad Biblia igitur sacra si quis mentem simplicem adhi-** beat & sincerum pectus, vetustaque gentium numina in sacris voluminibus quaesierit; multorum ex iis populorum leges, sacros ritus, ac historias; urbium quoque conditores perosque, ac legum latores ex iis manasse comperiet: fabulis etiam aliquot comminiscendis ansam præbuisse Libros sanctos. Unde concludat necesse est, divinarum Scripturarum, totam ethnicorum Theologiam, propaginem fuisse; qui oblatæ veritati integritatem suam minime servantes, distillimis eam fabularum involucribus obseptam, & perplexis fictionum implicatam nodis, posteris reliquerunt.

## VII.

## BIBLIA POLEMICA.

*Galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Ephes. 6. 17.*

**I. Ivis est sermo Dei propheticus, & efficax confodien-** dis heresem monstris, ac erroris universæ caligini detergendæ aptissimus. Et primum quidem ex oraculis in veteri testamento consignatis, in novo autem effectum suum nactis, verè divinam Scripturam, esse sacram à Deoque traditam scientificè demonstramus: vim enim argumenti inesse prædictionibus; nec ad fovendam dumtaxat fidem jam animis hominum illapsam, sed ad prima etiam fidei lineamenta formanda, Prophetarum prodesse vaticinia omnino volumus: neotericorum stoliditatem hac assertionem vitantes, ne si eos affectemur, à SS. Patrum vestigiis longe abeamus diversi.

**II. Ex iisdem deinceps Jesum Nazarenum, Judæorum** adversus calumnias, verum esse Messiam, hominem Deum, à Deo missum ad hominum salutem, per hæc prædictiones validissimam demonstrationem ostenditur. Christi verò solam habendam eam esse religionem, quam Ecclesia amplectitur Romana, luculenta fœderis utriusque testimonia clare demonstrant. Tutissimum ergo adversus impiorum assultus perfugium, & velut anchoram sacram habemus omnem scripturam divinitus inspiratam, quæ ad corripiendum, & arguendum utilis quum sit, hinc sumuntur arma militiæ nostræ non carnalia sed potentia Deo, ad impiarum sectarum munitiones destruendas, consilia mentium superbarum confundenda, omnemque altitudinem extolentem se adversus scientiam Dei funditus evertendam.

## VIII.

## BIBLIA ASCETICA.

*Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. 1. Tim. 1. 5.*

**I. Non habent vultum illum pietatis, scopum dilectio-** nis, vanitates & insanæ Philosophorum mendaces, ventosa poetarum nugæ, ac superbus sectarum diversarum error, quarum leges, ac instituta vitæ nequaquam charitati militare noverunt. Vanum propterea pronuntiamus quemlibet religionis cultum, falsissimas infelicitum hominum disciplinas omnes, Deo etiam ingratisissimam, ac inutilem prorsus præceptorum tantam congeriem, quibus utcumque ad bene beateque vivendum ac moriendum se ipsos institutere volebant. Solum ergo noveris vitæ perfectæ in Christianismo institutum, legem sanctam, & Scripturam veracem, quæ non culpatur nisi cupiditatem, nec præcepit nisi charitatem, hoc modo informans mores hominum; ut summo bono sic intime corda conjungens, in Dei imaginem tranformet mortales, & societatis humanæ inviolabili vinculo vitæ eliminet, virtutes pariat, quibus piè beateque vivitur.

**II. Ergo Scripturis sacris, quibusdam quasi machinis, B b b b**